

ffvs.

B. C. D.
THESES JURIDICAS,
DE

LOCATIONE
CONDUCTIONE,

Sub Auspicio Divino,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atque Excellentissimo*

DN. JOHANNÉ HENRICO
FELTZIO,

J. V. D. Pand. & Jur. Can. P. P. Ord.

*Celeberrimo, & p. t. Facult. Juridicæ
Decano Spectabili,*

Patrono atq; Præceptore summè colendo,

SOLENNITER defendet

JOH. PHILIPPVS DVCONTE, Argent.

*Collegiatæ S. Michaëlis Lauterbacensis
Canonicus,*


*Anno MDCCLIV. d. 14. Julij.
h. l. q. f.*

ARGENTORATI,

Ex Typographia JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.

V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
atque EXPERIENTISSIMO
DOMINO
PETRO DVCONTE,
Xenodochij Regij Argent. Archi-
Chirurgo Regio, & Medicinæ Practico,
Parenti Optumo.

Ut &
V I R O
PLURIMUM REVERENDO, AM-
PLISSIMO *atq;* NOBILISSIMO
DOMINO
BERNARDO DVCONTE,
Collegiatæ S. Petri Junioris Canonico
meritissimo, Patruo honoratissimo,
THESES HASCE ACADEMICAS
*In gratissimi animi signum & debiti
honoris, & amoris pignus
dicat ac sacrat*
JOH. PHILIPPVS DVCONTE,
Respondens.



THESES
DE LOCATIONE
CONDUCTIONE.

THESIS I.



Locatio Conductio
bene definitur *Contractus*
Consensualis de re pro certa
mercede fruenda vel opera
prestanda. Dicitur *Consensualis*, quia ad
sui substantiam nil requirit, quam con-
sensum, & in hoc dicitur Emptioni Ven-
dicioni similis esse *pr. l. h. t.*

TH. II.

Consensus, qui hic interuenit est vel
A 2 taci-

tacitus vel expressus. Potest enim etiam *tacitè* fieri Locatio Conductio, tam *ab initio*, si quis sponte occupaverit rem, quæ certa mercede locari solet, quam *ex post facto*, si Conductor Locatione finita, manet non modico tempore in re conducta.

TH. III.

Dividitur Locatio in *locationem rerum & operarum.* *Locatio rerum* dicitur, qua usus rei pro certa mercede conceditur. *Locatio Operarum* vero, qua usus personarum, seu operæ pro certa mercede præstantur.

TH. IV.

Locari possunt res omnes, quæ sunt in commercio & usu non consumuntur, etiam res incorporales & servitutes, non quidem ratione Juris, sed ratione usus. Possunt & facta honesta quævis locari
mer-

mercede æstimabilia, qualia sunt omnia, quæ ex artibus illiberalibus dependent, non autem, quæ artes liberales attinent.

TH. V.

Effectus Locationis Conductionis consistit in *actione Locati* ab una & *actione Conducti* ab altera parte. *Actio Locati* datur Locatori adversus Conductorem ad id, ut mercedem debito tempore præstet & rem conductam finita locatione restituat, damnum etiam, quod dolo & culpa datum est, resarciat. Dico, *finita locatione*; regulariter enim ante tempus elapsum non potest locator rem repetere nisi locator ipse opus habeat re locata ob causam specialem & inopinato supervenientem, aut nisi 2. conductor toto biennio non solverit mercedem aut 3 res locata habeat opus reparatione, aut 4. Conductor in re conducta malè verferur.

A 3

TH. VI.

TH. VI.

Actio Conducti est actio personalis, quæ datur conductori adversus locatorem, ad id, ut re conducta liceat uti, & si quid præterea, interfit, spectetur.

TH. VII.

Circa *mercedem* requirunt DD. ut ab initio statim sit constituta certa vel determinatione contrahentium, vel arbitrio alieno. Quod si nulla merces sit constituta, ajunt esse contractum innominatum. Sed notandum tamen est, aliud esse, si res locari solita sit, & quæ simul definitam mercedem habeat; ibi enim tacitè pactum videtur, ut merces præstari solita præsteretur, adeoque censetur locatio esse, etiamsi nihil expressè de mercede actum sit.

TH. VIII.

Est una ex præcipuis circa hoc argumen-

gumentum controversis, *an merces locationis etiam in alia re, quam in pecunia numerata constitui possit?* in qua videtur distinguendum esse inter Regulam & Exceptionem. Regula est, in pecunia numerata consistere mercedem, sed potest tamen & in alia re constitui & tunc fit locatio Conductio *irregularis*.

TH. IX.

Contractus Emphyteuticus proprie non est Emptio Venditio, neque etiam Locatio Conductio, sed contractus separatus, consensualis tamen *ratione originis*, quem aliter absolvi noluerunt Imperatores, nisi ut consensus ille in scripturam redigeretur, idque, ne per diuturnitatem temporis memoria conditionum excideret; quod si tamen scriptura hæc periret, aliunde probari possunt conditiones.

TH. X.

Controvertitur in materia locationis
im-

imprimis etiam §. 4. & 5. J. h. t. *Utrum Emptio Venditio sit, an Locatio Conductio, si Titius cum aurifice convenerit, ut ex auro suo annulos faceret pro certa pecunia?* Deciditur Emptionem esse; ratio decisionis est, quod principaliter hic pactum videatur, ut aurifex annulos factos det; quod autem prius faciat, hoc venit ex consequentia, cum nisi faceret istas annulos, dare non posset, ita, ut opera hoc in casu accessorij vice fungatur.

T H. XI.

Objicitur autem huic decisioni l. 22. §. 2. ff. h. t. Ubi locatio esse dicitur, licet artifex ipse materiam præstet; Respondendum videtur, hoc inde esse, quia materia illo casu non fit mea ratione *contractus*, sed ratione *soli* seu *areæ*, l. 98. §. *aream de solut.* & hic principaliter opera architecti vertitur, non ut dominium in me transferat; hoc enim non ab artifice accipio, sed jure soli.

T H. XII.

TH. XII.

Quæritur porro, quænam *culpa* in hoc contractu præstanda sit? videtur, quod *levissima* etiam præstari debeat, quoniam in §. 5. J. h. t. talis desideratur diligentia, qualem diligentissimus paterfamilias rebus suis adhibet; sed rectius tamen statuitur, regulariter in hoc contractu non præstandam esse, nisi culpam levem, quod enim de diligentissimo patrefamiliâs dicitur, non est in sensu *comparativo* intelligendum, sed *positivo*, ita, ut idem sit ac diligens paterfamilias.

TH. XIII.

Ad contraria locationis pertinent, tum ea, quæ hunc contractum *ab initio* impediunt, tum ea, quæ eundem *ex post facto* resolvunt; Ad primum genus spectant, Dissensus, rei qualitas, personarum conditio, incertitudo mercedis, &c.

B

TH. XIV.

TH. XIV.

Ad contraria resolventia spectat 1. *Lapsus temporis* ad quod Locatio vel expressè vel tacitè fuit contracta. De cætero ante tempus conductionis finitum, neuter, neque locator, neque conductor à contractu recedere potest, *sine justa causa*, etiamsi locatio conductio contracta sit à tutore vel curatore aut alio administratore.

TH. XV.

Refertur autem inter *justas causas* conductorem ante tempus præfinitum expellendi 1. *Merces intra biennium non soluta*, in quo tamen casu locator non tenetur mercedem solvere, nisi pro rata temporis præteriti.

TH. XVI.

Secunda causa expellendi conductorem ante tempus finitum est *Superueniens*
Lo-

Locatoris indigentia; si scil. ipse ob super-
venientem causam repentinam, re alteri
locatâ indigeat. Conductore autem ex
hac causa expulso, merces etiam non de-
betur, nisi pro rata temporis.

TH. XVII.

Tertia causa est, *necessitas rem locatam
reficiendi*, modo refectio fieri non possit,
nisi expulso conductore. Finita refectione
res restituenda est conductori, & pro
ratâ temporis, qua re conductâ non est
usus, merces remittenda.

TH. XVIII.

Quarta causa est, *Abusus rei locatae*, si
conductor in re conductâ malè versetur,
vel *naturaliter*, rem deteriore reddendo,
vel *moraliter*, re contra bonos mores abu-
tendo, & in hoc casu conductor tenetur
locatori ad omne interesse.

TH. XIX.

Est & alia justa causa; *Si non apparet haeres conductoris, eo mortuo;* Tunc enim locator potest à locatione recedere & eam rem alij locare.

TH. XX.

Justæ causæ ex parte Conductoris recedendi à Contractu tempore nondum finito, sunt; *Si lumina adium conductarum à vicino obscurentur; si fenestra nimium corrupta non restituantur; si ades ruinam minentur; &c.* & in his casibus non integram mercedem sed pro rata temporis solvere tenetur.

TH. XXI.

Quæritur: An justa etiam causa sit respectu conductoris recedendi à contractu ante tempus elapsum, si ipse majoribus ædibus indigeat ob supervenientem causam? Respondendum est negando; neque obstat, quod locator possit propter indigen-

gentiam recedere à contractu unde & videri posset, idem licere conductori. Respondendum enim est, in materia privilegiorum non procedere argumentum à naturâ correlatorum.

TH. XXII.

Morte locatoris vel Conductoris antè tempus contractûs finitum non solvitur Locatio Conductio, sed utriusque heredes contractui stare tenentur, id quod non solum ad heredes *priores* sed & ad *ulteriores* pertinet.

TH. XXIII.

Successores singulares locationi ab antecessoribus contractæ regulariter stare non tenentur, sed conductorem licitè expellere possunt, quo pertinet proverbium Germanicum *Kauff geht vor Lehn.*

TH. XXIV.

Conductor à singulari successore expulsus potest agere adversus locatorem

B 3

ad

ad omne id, quod interest, si res illa conducta ad successorem illum singularem pervenerit ex voluntate locatoris. Si vero ex necessitate juris rem adeptus fuerit successor ille singularis, locator tantum futuri temporis mercedem, non autem interesse præstare tenetur.

TH. XXV.

Admodiatio ex principiis juris Romani ut Locatio Conductio irregularis defendi potest; sed non tamen fuit Romanis ea in latitudine cognita, in qua hodie ab usu communi est recepta.

TH. XXVI.

Ubi non potest manifesta ostendi ratio differentia, ibi casus circa Admodiationem occurrentes debent ex analogia juris, quod circa Locationem Conductionem obtinet, decidi.

TH. XXVII.

Locatio partiaria, qua colono *pars*
quanta

quanta fructuum datur, vera est locatio
 conductio, sed à regulari tamen contra-
 ctus hujus natura deflectens.

TH. XXVIII.

Locatio partiararia, qua fundus locatur
 ad *partem quotam* e. g. tertiam vel dimi-
 diam, est contractus ex societate & Lo-
 catione conductione mixtus.

TH. XXIX.

Quod si colonus præterea sumptus
 conferat in agriculturam faciendos, jam
 plus trahit ex societate contractus, & tan-
 tum non meram societatem constituit.

TH. XXX.

Inter Affinia Locationis Conductionis
 bene referuntur, Affictus, Contractus
 Libellarius, Precaria & Contractus
 Censiticus.

DEO SOLI GLORIA

Alma Domus Themidis, cujus splendore teneris,
 Haud fessi studij premia magna parat;
 Namque tuos inter nixus caput erigit Hicce,
 Quo Tibi victori palma decora datur.
 Laetitia do signa mea, Tibi cuncta peroptans
 Qua Te, Fautorem, terque quaterque beant.


Ecce
 Nobilissime Domine DVCONTE
 Sincerissimum erga Te affectum

M. Jeremia Eberhardi Linckij,
 LL. Cult. Arg.

UT bene differeres ut Nomen in Astra referres
 Materies lecta est Ingenio apta Tuo.
 Perge licet magno Famam conducere Cultu,
 Illa Comes venit, at non sine mole venit,
 Pensio Te manet hic non exæquanda Camœnis
 Qui locat Ingenium, nil magis ille locat.

*Paucula haec Specimini, quod Tu Nobilissime ac
 Politissime DN. Respondens non sine applausu
 Eruditorum sustines, gradulabundus ad-
 jecit*

Johannes Binder,
 J. V. C.



Sträßler, Diss., 1704-08

ULB Halle

3

005 359 848



VD 08



35.

M
1704 2
1-

B. C. D.
THESES JURIDICAS,
DE

LOCATIONE CONDUCTIONE,

Sub Auspicio Divino,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atque Excellentissimo*

DN. JOHANNEN HENRICO
FELTZIO,

J. V. D. Pand. & Jur. Can. P. P. Ord.

*Celeberrimo, & p. t. Facult. Juridicæ
Decano Spectabili,*

Patrono atq; Præceptore summè colendo,

SOLENNITER defendet

JOH. PHILIPPVS DVCONTE, Argent.
Collegiatæ S. Michaelis Lauterbacensis
Canonicus,

*Anno MDCCLIV. d. 14. Julij.
h. l. q. f.*

ARGENTORATI,
Ex Typographia JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.

